

habet, & habere debet in Cartosio Episcopus Aque-
 nis usque ad terminum supradictum, & in territo-
 rio dicti loci præter nemus, & fictum de Sgaranis,
 & nemus, ac pratum de Placiis, & poderium quod
 fuit Cepollæ. Eo modo ut dictus Henricus usque
 ad dictum terminum habeat omnes terras, vineas,
 conditiones, pensiones, furnum, & molendinum, &
 alios introitus de Cartosio pertinentes dicto D. Epi-
 scopo præter superius exceptuata, & præter banna,
 fodra, & successiones, dante dicto Henrico annua-
 tim nomine ficti D. Episcopo Aqueensi modia vi-
 ginti pulchri frumenti, & mundi, & modia sexde-
 cim barbariati, sive feliginis scilicet tale granum
 quale habuerit de dictis terris, & de proventibus,
 & modia viginti spelte videlicet in festo Nativitatis
 Beatæ Mariæ, & libras quindecim in festo Purifi-
 cationis Beatæ Mariæ, ac vinum, & pullos quando
 Dominus fuerit Cartosii tam pro se, quam familia
 sua. Quæ ficta prout superius continetur dictus Hen-
 ricus de Albereto promisit dicto D. Episcopo dare
 annuatim in terminis supradictis cum omnibus damnis,
 & dispendiis, quæ idem D. Episcopus, vel ejus
 nuncius inde faceret, vel haberet. Et pro prædictis
 omnibus observandis omnia bona sua ipsi D. Epi-
 scopo pignori obligavit. Et idem D. Episcopus pro-
 misit dicto Henrico prædicta omnia ei concessa non
 auferre, nec impedire, sed ea potius defendere, &
 disbrigare ab omni persona cum ratione usque ad
 terminum supradictum. Obligando inde ipsi Hen-
 rico bona dicti Episcopi, & Episcopatus. Hoc acto
 & convento inter eos, quod si infra dictum termi-
 num excitetur guerra communalis, & tempestas ge-
 neralis quod Deus avertat, quod tunc non teneatur
 dictus Henricus solvere dictum fictum, sed dare
 eidem D. Episcopo medietatem fructuum, terrarum
 & omnes alios proventus pertinentes dicto D. Epi-
 scopo. Et quod dictus Henricus debeat restituere
 omnia nemora in tali bono statu sicut modo sunt,
 & quod dictus Henricus debeat bene custodire ne-
 mus, & pratum de Placiis.

Eodem die & loco præsentibus testibus prædictis
 D. Henricus Episcopus Aqueensis per baculum, quem
 in manu tenebat, investivit Henricum de Albereto
 de villicatione Cartosii usque ad annos quatuor
 proximos constituendo dictum Henricum suum nun-
 cium villicum procuratorem, & gastaldum ad pe-
 tendum, exigendum, & recipiendum, & recupe-
 randos omnes fructus, proventus, & godias, quos
 & quas habere debet, & debuerit usque ad termi-
 num supradictum in Cartosio, & in ejus territorio,
 ita quod dictus Henricus possit imponere bannum
 omnibus de Cartosio usque in solidos quinque, qui
 jura, & rationes curiæ non solverint in terminis
 constitutis, & qui jura ejus defraudaverint, & qui
 in nemoribus publicis inciderint, & quod dicta ban-
 na exigere, & recuperare debeat dando D. Epi-
 scopo medietatem bannorum prædictorum. Et quid-
 quid in prædictis, & circa prædicta per dictum Ga-
 staldum inde factum fuerit dictus D. Episcopus ra-
 tum, & firmum habere promisit.

Ego Franciscus Novellus de Tertio imperiali aucto-
 ritate Notarius hæc duo instrumenta sicut ea scripta,
 & imbreviata inveni in quodam protocollo, cujus

superscriptio sic dicit. Cartularium Opicii de monte
 Moyzeno Notarii, in quo quidem protocollo erant
 scripti in secundo folio præcedenti anno Domini
 MCCLVIII., indictione I. de ipso protocollo extrahi,
 & fideliter exemplavi de mandato, & licentia R. in
 Christo Patris, & D.D. Guidonis Dei gratia Aqueensis
 Episcopi, & Comitis nihil in ipsis, vel aliquo eorum
 mutans &c.

MCCCVIII. col. 273. n. 269. Ad pleniorē hujus
 chartæ intelligentiam aliæ adjungendæ sunt, quarum
 mihi notitiam P. M. Cavallerius ex archivio sui Con-
 ventus suppeditavit. FF. Minores e fundamentis excita-
 runt oratorium prope suam Ecclesiam. FF. Prædica-
 tores litem eis moverunt, quia deerat spatium 140. pe-
 dum, quod ex decreto Alex. IV., & Clementis IV. inter
 utrasque Ecclesias intercedere debebat. Ad Romanum
 Pontificem quæstio delata fuit, unde an. MCCCIX.
 Clem. V. varias de hac re delegationis misit epistolas,
 in quibus Alexandria semper Aqueensis Diocesis nomi-
 natur: excerpta dabo.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei dilectis
 filiis Abbati Monasterii S. Justinæ de Sezadio, &
 Præposito S. Mariæ de Castello de Alexandria, ac
 Archipresbitero S. Agathæ de Uviliis Aqueensis Dio-
 cesis salutem, & apostolicam benedictionem. Cum
 nobis Guardianus, & fratres Ord. Min. de Alexan-
 dria Aqueensis Diocesis petitione monstrarunt &c.
 Datum Avenione nonis maii Pontif. nostri anno IV.

II. Clem. Episcopus Servi Servorum Dei dilectis
 filiis Abbati S. Justinæ de Sexadio, & Priori S. Syri
 de Alexandria, ac Præposito Ecclesiæ prædicti loci
 de Sexadio Aqueensis Diocesis salutem, & apostoli-
 cam benedictionem. In causa appellationis, quæ in-
 ter Guardianum, & FF. Ord. Min. de Alexandria
 ex una parte, & Priorem, & Conventum Ord. FF.
 Prædicat. dicti loci de Alexandria Aqueensis Diocesis
 ex altera vertitur super eo &c. Datum

III. Clemens Episcopus etc. Dilectis filiis
 sancti Petri de Alexandria, & de Quar-
 gneto, & de Montebartio Ecclesiarum Archipres-
 biteris Aqueensis Diocesis. In causa seu causis appel-
 lationis etc. Datum Viennæ II. idus februarii Pon-
 tificatus nostri anno VII.

MCCCVIII. col. 274. n. 270. Huic documento adde
 in fine subscriptionem Notarii, quæ sic se habet. Ego
 Luchellus Bandezzonus de Bestagno publicus imperi-
 ali auctoritate Notarius &c. prout inveni in pro-
 tocollis q. Johannis de Rolando &c. In hac eadem
 membrana Capituli continentur investituræ multarum
 possessionum agri Meladiensis ab hoc eodem Episcopo
 die 25., & 26. aprilis apud Aqueensem Ecclesiam
 concessæ.

MCCCVIII. col. 274. n. 271. Collatum nuper cum
 membrana Capituli lin. 43. ejus l. ejusdem. lin. 46.
 Finacio l. Finario. lin. 48. Juderto l. Guercio. lin. 50.
 Odo l. O. ita infra lin. 52. ac l. ac sibi acquisitum.
 lin. 61. juris l. jure.

Col. 275. lin. 1. Galzana l. Calvazana. lin. 5. l.
 monte Morixino. lin. 7. prædecessores l. j prædeces-
 sores. lin. 21. recipientes l. recipientibus. lin. 22.
 legitime l. legitimis. lin. 29. heredes l. homines.
 lin. 39. scilicet l. sibi. lin. 43. hæc l. hoc. lin. 48.
 universali l. Vassalli item Ecclesiæ l. eidem. Titulum